

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVI - N. 2

2004

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

DECEMBRIS 2004

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Limina Apostolorum visitantes	175
---	-----

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	179
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	181
SYNTESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO	183

EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio I)	236
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio II)	250
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio III)	277
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio IV)	306
NOTITIAE	334
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	336

**COETUS STUDII
«DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS»**

Sessio III^a

(diebus 20-24 novembris 1967 habita)

Diebus 20-24 novembris 1967, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas de bonis Ecclesiae temporalibus.

Conventui intererant Ill.mi ac Rev.mi Hercules Crovella, Vincentius Fagiolo, Thomas Garcia Barberena, Laurentius McReavy, Ioannes Pazstor, Fridericus McManus, Rev.mi Patres Athanasius Welykyj, Ulricus Beste, Daniel Faltin, Alfonsus Stickler et Ill.mus Prof. Eugenius Isele.

Praeerat Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis; Relatoris munere fungebatur Rev.mus Crovella; actuarii munere fungebatur Rev.dus Franciscus Voto, a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

1. de piis fundationibus;
2. de bonis Ecclesiae administrandis.

Singuli praesentes Consultores, exceptis Rev.mo Welykyj et Ill.mo Isele, votum de propositis quaestionibus paraverunt. Etiam Exc.mus Consultor Valentinus Wojcik, qui conventui interesse non potuit, votum suum in scriptis Secretariae miserat.

Adunatio I^a

die 20 novembris 1967 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit praesentibus et Rev.mum Relatorem invitat ut quaestiones pertractandas proponat.

Rev.mus Relator dicit ex votis Consultorum collegisse praecipuas quaestiones circa pias fundationes quae ad sequentes reducuntur:

1. Utrum piae fundationes fieri debeant in perpetuum, an ad tempus (can. 1544).

2. Utrum conditiones acceptationis piarum fundationum statuendae sint necne a Conferentiis Episcoporum (can. 1545).
3. Utrum Ordinarius de qua in can. 1546 debeat esse Ordinarius *loci*, an Ordinarius.
4. Utrum consensus Ordinarii requiratur necne ad validitatem ut personae morales pias fundationes acceptare possint.
5. De loco tuto, in can. 1547.
6. Quid de paroecia pleno iure instituto religioso unita quoad can. 1550?
7. Quoad reductionem onerum utrum sufficiat necne remissio ad can. 1517 iam probatum.

Quaeritur Consultoribus placeatne examinare relatas quaestiones. Omnibus placet.

1. *Utrum piae fundationes fieri debeant in perpetuum an ad tempus* (can. 1544)

Omnis Consultores admittunt ob mutatas temporum conditiones patrimonia vel dotes piarum fundationum non amplius praestare redditus fixos in perpetuum. Per evolutionem rerum oeconomicarum saepe patrimonia vilescent et ob deminutos redditus onera piarum fundationum integra servari non possunt.

Ex hac conditione rerum maior pars Consultorum (Rev.mi Relator, primus, secundus, tertius, quartus, quintus et sextus Consultores) arguant pias fundationes *perpetuas* non amplius haberi posse, sed tantum *in diuturnum tempus*. Cuius autem diuturnitatis necesse est definiatur spatium vel saltem edicatur terminus minimus et maximus (Rev.mi secundus, quartus et sextus Consultores).

Rev.mus septimus Consultor censet distinguendum esse inter pias fundationes iam existentes et pias fundationes quae in posterum constituentur. De praeteritis nihil innovandum; de futuris autem diuturnitas reducenda erit ad spatium 40 vel 50 annorum.

Reliqui Consultores (Rev.mi octavus, nonus et ill.mus decimus Consultores) negant vilescentiam progressivam bonorum necessario excludere perpetuitatem piarum fundationum. Attendenda est enim voluntas pii fundatoris qui saepe saepius perpetuitatem intendit etsi sciat, ob mutatas circumstantias, onera reduci posse. Ceterum, notat Rev.mus nonus Consultor, quando dicitur «perpetuum» omnibus clarum est non agi de perpetuitate absoluta sed relativa, hoc sensu quod onera satisfieri debent pro

mensura reddituum. Quod autem lege statui debet est mensura reductionis onerum, proportione habita cum reductione reddituum.

Rev.mus tertius Consultor: Alia ratio accedit pro abolenda perpetuitate piarum fundationum, quia scilicet illa perpetuitas sapit conceptionem capitalisticam proprietatis bonorum. Quis *legitime* tot bona disponet quae *in perpetuo* alentiam piam fundationem?

Rev.mus Secretarius: Certo plura pro re nostra attendenda sunt, scilicet mutata conditio rerum oeconomicarum, diversitas regionum, etc. Certo certius legislatores civiles non amplius admittunt perpetuitatem piarum fundationum. Configurari posset perpetuitas aliqua non materialiter in sua continuitate sumpta, sed pendens a rerum circumstantiis.

Rev.mus nonus Consultor instituit in sua propositione, notando quod, etiam de piis fundationibus agentes, praescindere non possumus a conceputu piae voluntatis. Pia fundatio tandem aliquando fundatur in pia voluntate, ergo elementum voluntatis, quae potest esse perpetua, praeteriri non potest. Consequenter perpetuitas piae fundationis, qua talis, manere debet etsi pendens, in sua materiali continuitate, a rerum circumstantiis.

Rev.mus secundus Consultor: Nihil dicatur de perpetuitate vel non, sed principium eligatur *quod Ecclesia onera piarum fundationum implebit usque dum redditus ad medietatem (vel aliquid simile) reducantur*. Hoc modo pia fundatio esset *per se* perpetua, sed per accidens cessare posset.

Fit suffragatio:

– placet retinere perpetuitatem?

Placet 2; non placet 7.

– placet «indefinitum tempus»?

Placet 4; non placet 5.

– placet «diuturnum tempus»?

Placet 7; non placet 2.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «diuturnius tempus», quibus verbis innuatur mentem legislatoris esse ut extensio temporis quam maxime protrahatur.

Suffragatur propositio Rev.mi tertii Consultoris:

Placet 2; non placet 7.

Quaeritur deinde utrum determinatio temporis relinquenda sit necne «*iuri particulari*»:

Placet relinquere iuri particulari: 8.

Unus Consultor se abstinet a suffragio ferendo.

2. *Utrum conditiones acceptationis piarum fundationum statuendae sint necne a Conferentiis Episcoporum* (can. 1545)

Examinatur formula novae redactionis can. 1545 proposita a Rev.mo primo Consultore, id est: « Loci Ordinarii est definire conditiones sine quibus piae fundationes admitti nequeant, atque normas praescribere de rite distribuendis fructibus earum, quae legitime acceptatae fuerint ».

In hac formula legislatori locali tribuitur potestas definiendi conditiones sine quibus piae fundationes admitti nequeant, ponendi scilicet alias conditiones praeter determinationem quantitatis dotis de qua agebat can. 1545.

Quaeritur Consultoribus placeatne ampliatio potestatis legislatoris particularis.

Facta suffragatione, exitus hic est:

Placet 5; non placet 2; 2 Consultores se abstinent a suffragio ferendo.

Deinde quaeritur cui competit definire illas conditiones:

Rev.mi primus, secundus et quartus Consultores censem hanc potestatem servandam esse Ordinario, qui invigilare debet circa adimpletionem onerum et proinde melius quam alii potest conditiones definire pro locorum circumstantiis.

Rev.mi sextus et tertius Consultores proponunt ut « ius particulare » definit illas conditiones.

Post aliquam discussionem inter Consultores, quaeritur placeatne formula Rev.mi primi Consultoris hoc modo mutata: « Iuris particularis est definire conditiones, etc... ».

Placet 7; non placet 2.

Adunatio II^a

die 20 novembris 1967 – vespere habita

3. *Utrum Ordinarius de quo in can. 1546 debeat esse Ordinarius loci an Ordinarius*

Fere omnes Consultores volunt « Ordinarium », non « Ordinarium loci ». Nam si in can. 1550 competentia datur Superioribus Maioribus circa pias fundationes in ecclesiis paroecialibus religiosorum exemptorum, a fortiori eadem competentia ipsis dari debet quando piae fundationes sunt in aliis personis moralibus religiosis subiectis (Rev.mus tertius Consultor). Praeterea non videtur congruum reservare Ordinario *loci* consensum circa obligationes

quas alii contrahunt, nempe fundator et domus religiosa (Rev.mus Secretarius) eo vel magis quod, si aliqua domus religiosa supprimatur, eius onera sumi debent a Superiore religioso (Rev.mus tertius Consultor).

Rev.mus secundus Consultor censet quaestionem iam praeiudicatam esse per decisionem Consultorum circa can. 1544-1545. Cum enim relict sit iuri particulari determinatio diuturnitatis et conditionum, iam religiosi ligantur decisionibus illius iuris particularis.

Suggestio Rev.mi secundi Consultoris non placet Rev.mis Secretario, tertio et sexto Consultoribus, qui dicunt in dictione «iuris particularis» etiam leges legislatoris particularis religiosi comprehendendi, quod importat scilicet etiam Superiorum religiosos, pro sua provincia, statuere posse de illa diuturnitate et de conditionibus ad acceptandas pias fundationes.

Rev.mus nonus Consultor dicit quod in cann. 1544 et 1545 opportunum es-
set excludere ius particulare religiosorum ne in eodem territorio iura diversa ha-
beantur circa eandem rem, cum periculo mutuae aemulationis. In cann. autem
1546 (et 1547) convenit ut sermo sit de Ordinario, non de Ordinario loci.

Fit suffragatio: 9 Consultores volunt «Ordinario»; Rev.mus secundus
Consultor se abstinet; 1 Consultor vult «Ordinario loci».

4. *Utrum requiratur necne ad validitatem consensus Ordinarii ut personae
morales fundationes acceptare possint (can.1546)*

Propositio desumpta est a Voto Rev.mi primi Consultoris, qui can.
1546 hoc modo modificare vellet: «Ut huiusmodi fundationes a persona
moralis *valide* acceptari possint ...». Ratio a Rev.mo Relatore adducta se-
quens est: in iure vigenti, secundum auctores probatos, si persona moralis
acceptaverit onus sine consensu Ordinarii loci, fundatio valet, at integrum
est Ordinario fundationem, forte gravosam, rescindere. Cum autem odiosa
sit rescissio fundationis valide acceptatae, melius esset expresse declarare
consensum Ordinarii requiri *ad validitatem* contractus.

Petuntur suffragia placeatne propositio Rev.mi primi Consultoris:

Placet 9; non placet 2.

5. *A quo statui vel iudicari debeat locus tutus*

Duae sunt quaestiones:

- a. manere debeatne praescriptio loci tuti;
- b. a quo indicari debeat.

Rev.mus tertius Consultor: In can. 1547 duo exiguntur: quod *pecunia et bona mobilia collocentur in loco tuto et collocentur in commodum fundationis*. Convenit ut relinquatur prudentiae administratorum localium determinatio loci tuti quia saepe conditiones sunt diversae pro variis regionibus et pro variis temporibus. Non videtur bona praxis congregandi in unica capsula, ut locus tutus designata, omnes summae piarum fundationum, quae saepe coalescere possunt in magnam summam. Vulgus enim nescit illam magnam summam coalescere ex variis piis fundationibus et scandalum habet; praeterea tributa civilia saepe sunt progressiva pro quantitate capitalis.

Rev.mi primus, octavus et septimus Consultores: «Locus tutus» non est pressius determinandus. Relinquatur canon prout est.

Rev.mus secundus Consultor: Duo consulenda sunt in hac re: tuitio pecuniae et fructifera eius administratio. Designet Ordinarius locum tutum, de consilio Consilii administrationis dioecesani.

Rev.mi Relator et octavus Consultor: in Curiis episcopalibus adsunt capsae dioecesanae quae designari poterunt ut «loci tuti».

Rev.mus quartus Consultor: In hac materia situationes locales valde differunt. Non videtur tamen praescindi posse a consilio Consilii Administrationis, qui magna experientia pollet, neque comprimenda est autonomia administratorum particularium.

Rev.mus quintus Consultor: Centralisatio relinquenda est. Deleatur ergo in hoc canone figura «loci tuti» quia singulae personae morales habent suos peritos et omnes sciunt pecuniam et bona mobilia tuto servanda esse.

Rev.mus nonus Consultor: Ad mentem praesentis canonis, collocatio in loco tuto est provisoria, donec collocentur in commodum fundationis. Designatio talis loci tuti relinquere potest Ordinario, consulto tamen Consilio Administrationis dioecesanae.

Rev.mus sextus Consultor: Quaestio praesens de loco tuto melius solveretur si Coetus hic quaestiones de administratione massae communis prius definisset. Can. 1547 redollet nimiam aviditatem pecuniae. Nostris temporibus communiter pecuniae tuto collocantur in mensis publicis. Quare canon ad formam simpliciorem hoc modo redigi potest: «Piae fundationis dos, secundum prudens Ordinarii iudicium, auditis et iis quibus interest et dioecesano administrationis consilio, in tuto collocetur in commodum eiusdem fundationis cum expressa ac individua mentione oneris».

Ill.mus decimus Consultor: Can. 1547 convenit ut servetur quoad substantiam.

Rev.mus Secretarius: Locus tutus, ab Ordinario designandus, non necessario debet esse semper idem. Ordinarius pro sua prudentia potest alium vel alium locum, pro diversis circumstantiis, designare.

Rev.mus primus Consultor: Si designatio loci tuti non reservatur Ordinario, edici debet saltem ut pecuniae «collocentur in loco tuto *cum consensu Ordinarii*».

Rev.mus Secretarius: Melius esset dicere «de consilio Ordinarii», quia si dicitur «de consensu», periculum adest actus invalidi.

Rev.mus nonus Consultor: Dicatur potius: «... in loco tuto ab Ordinario approbando».

Petuntur suffragia:

1. Utrum placeat necne servare in can. 1547 obligationem collocandi pecuniam *in loco tuto*:

Omnibus placet.

2. Utrum placeat dicere necne: «... in loco tuto ab Ordinario approbando»:

Placet 10; non placet 1.

Adunatio III^a

die 21 novembris 1967 – mane habita

6. *Quid de paroecia pleno iure instituto religioso unita quoad can. 1550?*

Rev.mus primus Consultor, ad responcionem P.C.I.C., 25 iulii 1926 (*AAS*, 18, p. 393, ad IV) appellans, in suo voto proponit ut can. 1550 compleatur per haec verba: «... salvo loci Ordinarii iure exigendi rationes de administratione fundorum legatorumve paroeciae religiosae».

Additio non placet Rev.mo quarto Consultori, quia paroeciae pleno iure religiosae subsunt Ordinario loci tantum in iis quae ad curam animarum pertinent (can. 1425 § 2).

Rev.mus secundus Consultor: Quamvis quaestio non pertineat ad Coetum hunc, quaeri tamen potest num in posterum paroeciae pleno iure religiosae adhuc sint. Nam ex M. P. *Ecclesiae Sanctae* (n. 21, § 2 et n. 23, § 1) argui potest quod in novo Codice tales paroeciae non admittendae erunt.

Rev.mo secundo Consultori assentit Rev.mus Secretarius, qui praeterea notat quod iam in Codice Orientali prohibetur paroeciae collatio personae morali et, ex recenti praxi S. Congregationis Concilii, paroeciae non conferruntur Religiosis nisi per conventiones et ad nutum Sanctae Sedis.

Ergo quoad pias fundationes in ecclesiis paroecialibus pleno iure religiosis unitis, iam non erit quaestio. Manet quaestio de piis fundationibus in ecclesiis religiosorum et ideo Rev.mus secundus Consultor proponit ut in can. 1550 delean tur verba «etiam paroecialibus». Quoad pias fundationes, in paroecii religiosis collatis, providebitur per conventiones.

Rev.mus primus Consultor institut ut conferatur Ordinario loci ius exigendi a religiosis rationes de administratione bonorum piarum fundationum et arguit ex n. 39 § 2 M. P. *Ecclesiae Sanctae*, ubi tribuitur Ordinario loci ius visitandi scholas religiosorum.

Rev.mus Secretarius in mentem Consultorum revocat facultates de quibus in cann. 1545-1546-1547, *in nova redactione, collatas fuisse* etiam Ordinariis religiosis. Congruum ergo esset procedere cum eadem mente in redactione can. 1550.

Tunc aliqui Consultores proponunt suppressionem can. 1550, cum voto tamen competenti Coetui faciendo ut res fusius consideretur quando in Codicem recipietur materia n. 39 M. P. *Ecclesiae Sanctae*.

Suffragatur haec ultima propositio:

Placet 8; non placet 1. Placet iuxta mentem 2 (Rev.mi nonus et sextus Consultores).

Mens Rev.mi noni Consultoris haec est: placet si, etiam in can. 1549, dicatur «Ordinario», loco «Ordinario loci».

Petuntur suffragia placeatne in can. 1549 dicere «Ordinario»:

Placet 10; 1 Consultor se abstinet a suffragio ferendo.

Mens Rev.mi sexti Consultoris est: Placet si petatur Pontificiae Commissioni pro Decretis Conc. Vat. II interpretandis utrum prohibitio, de qua in n. 21, § 2, M. P. *Ecclesiae Sanctae*, extendenda sit necne etiam ad domus religiosas (contra can. 1425, § 2).

Sed Consultores unanimiter nolunt hanc interpretationem quaerere, cum nostra Commissio decidere possit independenter ab illa interpretatione, quippe quod normae M. P. *Ecclesiae Sanctae* iam cessabunt post promulgationem novi Codicis.

7. *Quoad reductionem onerum piarum fundationum utrum sufficiat necne remissio ad can. 1517 et 1517 bis iam probatos*

Rev.mi Relator, secundus et primus Consultores stant pro semplici remissione ad cann. 1517-1517 bis.

Rev.mus quintus Consultor dicit se pavere ne abusus habeantur ex

parte Ordinariorum in reducendis oneribus piarum fundationum. Si reductio Ordinariis relinquatur, ipsi iudices evadunt in causa propria. Melius esset tribuere reductionem viae iudiciaiae ut fit in iure anglico.

Rev.mus Secretarius: Propositio Rev.mi quinti Consultoris perpendi poterit postquam Commissio haec decreverit de Tribunalibus Administrativis, quibus forsitan committi poterit reductio onerum vel, saltem, interesse habentes recurrere poterunt contra reductiones ab Ordinariis factas.

Rev.mus quartus Consultor meminit in Coetu « de normis generalibus » studia et discussiones peragi de actibus administrativis. Attendere oportet illas conclusiones etiam pro hac quaestione. Pro nunc, quoad reductionem onerum piarum fundationum, sufficit remissio ad cann. 1517 et 1517 bis.

Rev.mus sextus Consultor censet pro reductione onerum piarum fundationum non posse fieri remissionem ad cann. 1515-1517 bis, quia in illis canonibus sermo est de reductione onerum missarum, dum piae fundationes gravari possunt aliis oneribus praeter missas. Praeterea in can. 1517, § 3, facultas reducendi tribuitur Episcopis dioecesanis, dum in can. 1551 facultas tribuenda est etiam Ordinariis religiosorum.

Suggestio Rev.mi sexti Consultoris placet Consultoribus et tunc Rev.mus Secretarius proponit ut quaestio solvatur hoc modo: in can. 1551 fiat remissio ad can. 1517; in can. 1517 autem: § 5 fiat 6 et in § 5 haec norma habeatur: « Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Supremi Moderatores religionum clericalium ».

Suffragatur propositio Rev.mi Secretarii:

Placet 10; non placet 1.

In fine Rev.mus Secretarius proponit ut canones de piis fundationibus in unicum titulum socientur cum canonibus de piis voluntatibus.

Propositio omnibus placet.

Adunatio IV^a

die 21 novembris 1967 – vespera habita

Peractis discussionibus circa 7 quaestiones de piis fundationibus a Rev.mo Relatore propositas, aliqui Consultores revocant alias quaestiones quas in suis votis proposuerant.

a. Rev.mus sextus Consultor dicit se in suo voto proposuisse abolitionem § 2 can. 1544, quia est declaratio quaedam doctrinalis.

Rev.mo sexto Consultori assentitur Rev.mus quintus Consultor.

Rev.mus tertius Consultor dicit illam § 2 transferri posse ad Titulum de verborum significatione.

Rev.mi secundus et octavus Consultores negant § 2 esse mere doctrinalem. Ex illa enim definitur natura obligationis acceptatae piae fundationis per quam pia fundatio distinguitur a pia voluntate.

Instat Rev.mus sextus Consultor dicendo § 2 esse inutilem quia figura piae fundationis iam delineatur in § 1.

Sed Rev.mus Secretarius notat quod ex § 1 induci posset ad donationem quandam modalem, dum in § 2 clare definitur fundationem naturam induere alicuius contractus.

Suffragatur placeatne retinere § 2 can. 1544.

Placet 7; non placet 4.

b. Rev.mus primus Consultor dicit se in suo voto proposuisse suppressionem § 2 can. 1546 quia mens Ecclesiae est ut iura patronatus abrogentur vel cessent (cf. M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 18) et etiam quia non patet quomodo ex ipso iure vigenti (cann. 1448-1471) patrono ecclesiae vindicari possit ius quod in can. 1546 § 2 ei negatur.

Omnes Consultores concordant cum Rev.mo primo Consultore, sed Ill.mus decimus Consultor animadvertisit quod in Helvetia prudentissime agendum erit in his quae se referunt ad ius patronatus, quia organizatio paroecialis ibi suam basim habet fere totam in iure patronatus popularis. Ideoque suppressio iuris patronatus gravia incommoda afferret.

c. Rev.mus secundus Consultor dicit se in suo voto proposuisse additionem § 3^{ae} in can. 1546, qua edicatur ut si qua persona moralis non amplius possit onera piae fundationis adimplere, bona fundationis, de consensu Ordinarii, transferri possint ad aliam personam quae capax sit adimpletionis onerum.

Rev.mus secundus Consultor aliqua exempla afferit.

Aliis Consultoribus non placet propositio Rev.mi secundi Consultoris, quia casus ab ipso allati solutionem, indirectam saltem, habent in can. 1517 (Rev.mus quartus Consultor), vel in can. 1500 (Ill.mus decimus Consultor). Ceterum, suppressa perpetuitate piarum fundationum, illi casus rarissimi erunt, qui deferri poterunt ad Sanctam Sedem (Rev.mi octavus et sextus Consultores).

DE BONIS ECCLESIASTICIS ADMINISTRANDIS

Rev.mus Relator sequentes quaestiones colligit ex votis scriptis Consultorum:

1. Can. 1518: quid dicendum de eo.
2. Potestas Conferentiarum episcopalium et bona superdioecesana.
3. Consilium administrationis diocesanum et consilium presbyterale.
4. Rationes praeventivae expensi et accepti.
5. Massae bonorum communes: a quibus administrentur et ad quas personas morales pertineant.
6. Postulationes doctrinae socialis affirmandae in can. 1524. Quid de «assicurationibus» de quibus in Decreto *Presbyterorum Ordinis*.

1. *De canone 1518, i.e. de potestate Romani Pontificis circa bona ecclesiastica*

Quaestio habetur inter Consultores de natura potestatis Romani Pontificis circa bona ecclesiastica.

Fere omnes Consultores dicunt servandum esse canonem prout iacet, quia Summus Pontifex est caput Ecclesiae, qui, vi primatus iurisdictionis, sibi subiecta habet omnia membra et bona in Ecclesia, et nativum ius amplissimum habet supremi administratoris et principalis curatoris quoad universa bona ecclesiastica, licet harum dominium apud singulas personas morales maneat. Quod ius vero Romanus Pontifex, in praxi, directe et immediate exercet circa bona quae pertinent ad Sedem Apostolicam vel universalis Ecclesiae communiter sunt addicta. Circa alia bona ecclesiastica autem normas generales sancit, quas earum administratores in acquirendis, retinendis et administrandis bonis servare debent, et si casus ferat (posita necessitate aut proportionata Ecclesiae utilitate) aliquid statuit quo dominium bonorum ecclesiasticorum transfert, extendit, limitat aut alia ratione circumscrimit. Quae omnia can. 1518 satis innuere videtur per illa verba «omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator».

Non idem sentit Rev.mus primus Consultor, qui censet Romanum Pontificem esse supremum administratorem exclusive quia suis legibus regit administrationem bonorum, non sensu quod directe posset illam immediate gerere cum careat iure hoc faciendi. Ideoque proponit novam redactionem can. 1518 his verbis: «Romani Pontificis est omnium bonorum ecclesiasticorum administrationem et dispensationem regere». In dioecesi

enim est Episcopus qui administrat *iure suo*, etsi sub moderatione Romani Pontificis. Si Romanus Pontifex posset administrare illa bona *iure suo*, respondere deberet etiam de aere alieno eisdem bonis forte adnexo.

Rev.mi Secretarius et quartus Consultor: in can. 1518 innuitur etiam potestas *immediata* Romani Pontificis circa *omnia* bona ecclesiastica. Suprema eius iurisdictio involvit quod Pontifex possit *iure suo* disponere de illis bonis, propter bonum commune Ecclesiae. Ideoque potest dici quod Pontifex participat in dominio omnium bonorum ecclesiasticorum. Non idem potest dici de Episcopo relate ad *omnia bona ecclesiastica* in ambitu sua dioecesis. Episcopus enim tantum iure vigilandi gaudet circa bona ad alias personas morales pertinentia.

Rev.mus nonus Consultor: Can. 1518 continet principium aliquod generale, circa potestatem Romani Pontificis quod, in systemate huius Codicis, repetitur initio singulae materiae iuris. Quod quidem principium integrum in sua substantia servari debet etiam in nostra materia. Ad summum canon posset ita mutari: «Romanus Pontifex omnium bonorum ecclesiasticorum supremum ius administrationis et dispensationis habet». Hoc modo affirmaretur ius Romani Pontificis, nihil dicendo *de facto* administrationis. Dum actualis can. 1518, praeter ius, etiam *factum* administrationis exprimere videtur.

Etiam Rev.mus secundus Consultor proponit novam formulam his verbis: «Ratione potestatis primatialis Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator». Hoc modo, dicit ipse, vitaretur quaestio utrum Summus Pontifex habeat necne dominium in *omnia bona ecclesiastica*.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut can. 1518 maneat prout est et addatur § 2 his verbis: «Romani Pontificis est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum ordinare, vigilantiam circa eamdem administrationem promovere, graviores causas suo iudicio reservare». Hoc modo specificatur quid importet munus «Supremi administratoris et dispensatoris».

Adunatio V^a

die 22 novembris 1967 – mane habita

Rev.mus Secretarius legit quaedam §§ epistulae *Cum encyclicas* Papae Benedicti XIV in qua dicitur, de communi sententia theologorum, Summum Pontificem non habere *dominium* in *omnia bona ecclesiastica*, de communi autem sententia canonistarum tale dominium habere.

Rev.mus secundus Consultor: Non est nostrum hanc quaestionem solvere. Sufficit affirmare principium supremae potestatis Romani Pontificis circa bona ecclesiastica sive illa sit ratione dominii, sive ratione supremae iurisdictionis.

Rev.mus quintus Consultor: Ex textu canonum 1518 et 1519 clare appareat quaenam sit potestas Summi Pontificis et quaenam sit potestas Episcoporum circa bona ecclesiastica.

Rev.mus sextus Consultor, ad componendas sententias Consultorum, hanc formulam proponit: « Romanus Pontifex, vi primatus iurisdictionis est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator ».

Examinatur formula Rev.mi sexti Consultoris:

Dicatur « Summus Pontifex » loco « Romanus Pontifex » (Rev.mus tertius Consultor).

Suggestio Rev.mi tertii Consultoris omnibus placet.

Aliqui Consultores proponunt ut formula Rev.mi sexti Consultoris compleatur per verba «... et dispensator ».

Propositio omnibus placet.

Deinde suffragatur placeatne formula Rev.mi sexti Consultoris hoc modo emendata:

Placet 10; non placet 1.

Ideoque can. 1518 erit: « Summus Pontifex, vi primatus iurisdictionis, est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator ».

Rev.mus Secretarius animadvertisit quod si Codex fundamentalis conficiatur, hic can. 1518 illuc trasferri poterit.

Rev.mus octavus Consultor: si id eveniet, tunc convenit ut fiat can. 1518 textus quem ipse proposuit tamquam § 2 can. 1518, id est: « Romani Pontificis est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum ordinare, etc...».

Rev.mus tertius Consultor: ut possit probari propositio Rev.mi octavi Consultoris, dicant Consultores placeatne transferre can. 1518 ad Codicem fundamentalem:

Placet 10; non placet 1.

Deinde suffragatur propositio Rev.mi octavi Consultoris:

Placet 8; non placet 3.

Formula autem Rev.mi octavi Consultoris, communis consilio, ita melius redigitur:

« Summi Pontificis est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare ».

2. *Potestas Conferentiarum episcopalium et bona superdioecesana*

Consultores initium discussionis sumunt a praescripto Concilii Vaticani II (*Decr. Presbyterorum Ordinis*, n. 21) de constituendis, si casus ferat, etiam bonis superdioecesanis ad occurrendum variis necessitatibus.

Relator dicit quod praetermissa quaestione de constituendis massis communibus superdioecesanis (quibus bonis et quomodo constituendis), quaestio vertit circa modum administrandi illa bona.

Ad rem Rev.mus primus Consultor censet satis esse si aliqua norma edicatur qua tribuatur Conferentiis episcopalibus facultas moderandi administrationem bonorum quae ad plures dioeceses pertinent.

Rev.mus nonus Consultor proponit ut illa bona «*a coetu administratorum* curantur qui a Conferentiis episcopalibus aliisque auctoritatibus competentibus superdioecesanis, quarum interest, nominantur, approbante Sancta Sede».

Sed Ill.mus decimus Consultor animadvertisit quaestionem praeiudicialem solvendam esse de determinatione personae moralis quae sit domina illorum bonorum.

Rev.mus secundus Consultor assentit Ill.mo decimo Consultori, sed notat quaestionem maxime praeiudicialem esse illam de traducendo in normam canonicam praescripto Concilii Vat. II (*Decr. Presbyterorum Ordinis*, n. 21) ut nempe constituantur bona supradioecesana pro certis necessitatibus, quae coalescunt tali vel tali modo.

a. *De subiecto dominii bonorum supradioecesanorum*

Fere omnes Consultores conveniunt quod subiectum dominii debeat esse Conferentia episcopal. Quaestio autem fit utrum Conferentia episcopal personalitatem moralem habeat necne. Certo Conferentiae ut tales, notat Secretarius, non habent personalitatem moralem nisi ipsae in suis statutis, a Sancta Sede approbandis, hoc expresse dicant. Sed convenit ut iure, expresse, personalitas tribuatur omnibus Conferentiis episcopalibus?

Rev.mi tertius, secundus et sextus Consultores vellent expresse personalitatem tribuere etiam Conferentiis episcopalibus in can. 1496, sicuti factum est de paroeciis et de dioecesibus.

Rev.mus octavus Consultor animadvertisit quod iam in can. 1496 Conferentiae episcopales comprehenduntur in illa verba: «aliacque personae morales».

Rev.mus primus Consultor censet talem personalitatem tribuendam esse, sed in loco competenti, in Coetu de Personis.

Rev.mus nonus Consultor censet talem personalitatem ad possidenda bona supradioecesana agnoscendam esse non exclusive Conferentiis episcopalibus, ita ut via aperta maneat aliis organis supranationalibus, si forte in futuro constituantur, quae subiecta dominii talium bonorum evadant.

Rev.mus quintus Consultor non videt necessitatem huius personalitatis moralis ad finem de quo agitur. Nam Episcopi, si aliquando hoc egerint, constitui se possunt, coram lege civili, in aliquam corporationem, sicuti factum est in Statibus Foederatis.

Rev.mus sextus Consultor, ad M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4, appellans, institutionem alicuius Praelatura proponit, cui administratio bonorum supradioecesanorum committatur.

Propositio Rev.mi sexti Consultoris placet Ill.mo decimo Consultori, quia hoc modo haberetur aliqua persona moralis cui committerentur illa bona, ad modum piae fundationis, ad certos fines implendos. Constitutio autem Conferentiae episcopalnis in personam moralem non placet, quia in Helvetia talis persona haberetur tamquam corporatio, quae certo non eadem est ac persona moralis.

Adunatio VI^a

die 22 novembris 1967 – vespero habita

Suffragatur placeatne includere expresse Conferentias episcopales in can. 1496.

Omnibus placet.

Rev.mus Relator notat per hanc suffragationem iam in compertum esse subiecta dominii bonorum supradioecesanorum esse Conferentias episcopales; manet quaestio de administratione illorum bonorum.

Rev.mus secundus Consultor meminit in adunatione praecedenti se animadvertisse aliam quaestionem maxime praejudiciale exstare, scilicet de constitutione illorum bonorum supradioecesanorum, quam oportet cito solvere ut deinde sermo fieri possit de ipsorum administratione. Proponit ergo ut redigatur canon in quo, praceptivo modo, edicatur apud singulas Conferentias episcopales constituendam esse talem vel talem capsam communem...

Rev.mi Secretarius et octavus Consultor obiciunt hunc non esse locum aptum de constitutione capsae communis.

Rev.mus nonus Consultor: in I^a et II^a Sessione admissum est quaestio-

nes illas praeiudiciales postponi debere, propter alias exigentias nostri laboris. Actualis nostra difficultas provenit ex illa decisione.

Rev.mus Secretarius: Adsunt quaestiones quae non debent anticipari neque praeiudicari. Videbit Coetus de personis utrum conveniat necne personalitatem tribuere foundationibus, corporationibus, massis bonorum etc. Praeterea, pro meliore systematione nostrae materiae, praevideri posset quod, post Tit. XXVI, Lib. III (De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus), novus Titulus ponatur qui agat de Institutis interdioecesanis. Perficiatur ergo nunc titulus de bonis administrandis, et aliae quaestiones suo loco tractabuntur.

b. Discussio redit ergo ad quaestionem, a Relatore propositam, *de administratione bonorum supradioecesanorum*

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur: «Conferentiae episcopalis est moderari administrationem bonorum ecclesiasticorum, quae ex pluribus dioecesis proveniunt et necessitatibus ecclesiasticis superdioecesanis inserviunt».

Rev.mus tertius Consultor: Examini subiiciatur potius formula a Rev.mo nono Consultore proposita, nempe: «Bona ecclesiastica quae ex pluribus dioecesis coalescunt et necessitatibus ecclesiasticis superdioecesanis inserviunt, a coetu administratorum curantur qui a Conferentiis episcopalibus aliisque auctoritatibus competentibus superdioecesanis, quarum interest, nominantur, approbante Sede Apostolica».¹

In hac formula, notat Rev.mus tertius Consultor, magni facienda videatur propositio ut Conferentiae episcopales administrationem committant alicui coetui.

Rev.mus primus Consultor: sufficit committere administrationis moderationem Conferentiae episcopali quae, pro suo libitu, ut patet, posset etiam aliquem Coetum ad hoc constituere.

Rev.mus nonus Consultor dicit in sua formula viam apertam manere organis supranationalibus quae forte in futuro constitui possint.

Rev.mus quintus Consultor censet quod si talia organa supranationalia coalescunt ex pluribus Conferentiis episcopalibus, sufficit in canone locutio generica «Conferentia episcopalis» ad indicanda etiam illa organo. Ceterum non necessario omnes circumstantiae in canone praevideri debent.

¹ Cf. votum Rev.mi noni Consultoris, pag. 2.

Adunatio VII^a

die 23 novembris 1967 – mane habita

Rev.mus quartus Consultor proponit suam formulam his verbis:

« Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecesibus coalescunt et necessitatibus ecclesiasticis superdioecesanis inserviunt, administrantur secundum normas a Conferentiis episcopalibus in singulis regionibus, approbante Sancta Sede, statutas ».

Formulae Rev.morum noni et quarti Consultorum similes videntur, propterea simul examinantur.

Prima pars ambarum formularum iisdem verbis sonat, id est:

« Bona ecclesiastica quae ex pluribus dioecesibus coalescunt et necessitatibus ecclesiasticis superdioecesanis inserviunt... ».

Rev.mus primus Consultor: initio dicatur: « Sicubi massae communes constituantur quae ex pluribus dioecesibus, etc... ».

Rev.mus octavus Consultor omittere vult verba « et necessitatibus ecclesiasticis superdioecesanis inserviunt ».

Idem dicunt Rev.mi Relator, primus et quintus Consultores.

Sed omnes alii Consultores nolunt omittere haec verba, quae finem exprimunt ad quem illa bona destinantur.

Rev.mo secundo Consultori non placet verbum coalescunt et Rev.mus Secretarius proponit « *colliguntur* »; sed Rev.mus nonus Consultor censet verbum *coalescunt* manere debere, quia

a. exprimit affluentiam in eamdem massam plurium bonorum, quae ex variis capitibus provenire possunt, utpote testamentis, taxis, collectis etc.;

b. si aliud verbum reciperetur (ex. gr. *colliguntur*), oporteret dicere *ubi* illa bona coadunentur.

His animadversionibus factis, Rev.mus secundus Consultor, pro prima parte huius canonis, proponit hanc formulam:

« Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecesibus coalescunt ad normam can. X... ».

N.B.: Can. X, suo loco redigendus, edicere debet *quomodo* et *ad quem finem* illa bona coalescunt.

Suffragatur propositio Rev.mi secundi Consultoris:

Placet 7; non placet 4.

Deinde examinatur altera pars formularum Rev.morum noni et quarti Consultorum.

Ipsi Rev.mo nono Consultori placet edicere: «administrantur secundum normas a Conferentiis episcopalibus... statutas», ut in formula Rev.mi quarti Consultoris; non placent autem verba «in singulis regionibus» ipsius formulae Rev.mi quarti Consultoris. Praeterea, dicit Rev.mus nonus Consultor, placeret redactionem talem curare qua via aperta maneat organis supranationalibus si quae forte constituantur in futuro.

Suffragatur placeatne supprimere verba «in singulis regionibus» formulae Rev.mi quarti Consultoris.

Omnibus placet.

Consequenter altera pars formulae Rev.mi quarti Consultoris his verbis constat: «.... administrantur secundum normas, approbante Sancta Sede, statutas».

Quaeritur placeatne haec formula.

Rev.mo quinto Consultori non placet reservare approbationem Sanctae Sedi.

Alii proponunt: «... a Conferentiis episcopalibus statutas et a Sancta Sede recognitas».

Rev.mus secundus Consultor autem proponit: «.... administrantur secundum normas a Conferentiis episcopalibus *legitime* statutas».

Suffragatur propositio Rev.mi secundi Consultoris:

Placet 10; non placet 1.

3. *Consilium administrationis dioecesanum et consilium presbyterale*

Omnes Consultores concordes sunt Consilium presbyterale qua tale non posse substituere Consilium administrationis dioecesanum, quia administratio eget competentia in re oeconomica.

Quaeritur tamen utrum Episcopus, pro constituendo Consilio administrationis dioecesano, egeat necne *consensu* vel *consilio* Consilii presbyteralis.

Post aliquam discussionem, omnes Consultores concordant quod Episcopus egeat tantum *consilio*.

Deinde quaeritur utrum saltem aliquis de Consilio presbyterali includi debeat necne in Consilio administrationis dioecesano.

Omnes Consultores convenient circa opportunitatem inclusionis aliquius membra Consilii presbyteralis in Consilio administrationis; quaestio

autem surgit utrum obligatorio modo proponi debeat an tantum commendiari ut Episcopus id faciat. Omnes Consultores tamen *commendationem* proponunt.

Tandem queritur utrum tale membrum Consilii presbyteralis, quod quidem commendatur ut intersit Consilio administrationis, a Consilio presbyterali eligi an ab Episcopo nominari debeat.

Consultores, omnibus perpensis, proponunt ut spectet ad Episcopum tale membrum nominare.

Adunatio VIII^a

die 23 novembris 1967 – vespere habita

Rev.mus Relator dat Consultoribus schema canonum de piis fundationibus ab ipso, iuxta placita eorundem Consultorum, redactum:

Can. 1544

§ 1. Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi vel praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut pietatis, caritatis et apostolatus opera peragendi.

§ 2. Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici: do ut facias.

Can. 1545

Iuris particularis est definire conditiones sine quibus piae fundationes acceptari nequeunt.

Can. 1546

§ 1. Ut huiusmodi fundationes a persona morali valide acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus, qui eum ne praebeat antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut redditus omnino respondeat oneribus adjunctis secundum cuiusque loci vel regionis morem.

§ 2. Suppressa.

Can. 1547

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab Ordinario approbando deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii iudicium, auditis et iis quorum interest et proprio administrationis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris.

Can. 1548

§ 1. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.

§ 2. Alterum tabularum exemplum in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam spectat tuto asservetur.

Can. 1549

§ 1. Servatis praescriptis cann. 1514-1516 et can. 1525 in qualibet ecclesia onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem in loco tuto servetur.

§ 2. Praeter librum de quo in can. 843 § 1, alter liber retineatur et apud rectorem servetur, in quo singula onera eorumque implementum et elemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario reddatur.

Can. 1550

Suppressus.

Can. 1551

In reductione onerum quae pias fundationes gravant serventur normae de quibus in can. 1517.

Singuli canones examinantur:

Can. 1544

Placet 10; non placet 1.

Can. 1545

Omnibus placet.

Can. 1546

Omnibus placet.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut loco § 2 suppressae, nova § 2 ponatur his verbis: «Ius acceptandi, constituendi et administrandi pias fundationes, ad normam iuris, legitimae auctoritati ecclesiasticae exclusive competit».

Propositio maiori parti Consultorum non placet; tamen Rev.mus sextus Consultor, cui tres Consultores assentientur, petit ut mentio formulae propositae in notis schematis canonum fiat.

Can. 1547

Placet 10; non placet 1.

Can. 1548

Placet 9; non placet 2.

N.B.: Rev.mo quinto Consultore non placet hunc canonem ponere in lege generali.

Can. 1549, § 1

Rev.mus primus Consultor recolit propositionem, factam in suo voto, addendi verba «... in qualibet ecclesia *vel instituto ecclesiastico ubi habetur pia fundatio*, etc.».

Tunc Rev.mus Relator proponit novam redactionem hoc modo: «Servatis praescriptis cann. 1514-1516 et can. 1525, onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem *ecclesiae vel instituti* in loco tuto servetur».

Haec formula omnibus placet.

Can. 1549, § 2

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod ultima verba (... ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario reddatur) supponunt ut alibi dicatur de obligatione illa rationes reddendi Ordinario.

Placet suggestio Rev.mi primi Consultoris, ideoque Consultores decernunt ut in praesenti § 2 omittantur illa ultima verba atque de eadem obligatione, reddendi nempe rationes Ordinario, dicatur in can. 1525.

Praeterea Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «apud *eundem* rectorem servetur» loco «apud rectorem servetur...».

Haec propositio omnibus placet.

Can. 1550

Placet suppressio.

Can. 1551

Omnibus placet.

4. *De rationibus praeventivis*

Quaeritur utrum administratores singulis annis teneantur necne praestare Episcopo rationes praeventivas praeter rationes accepti et expensi.

Rev.mi Relator, septimus, secundus, quintus et III.mus decimus Consultores favent huic obligationi rationes praeventivas praestandi.

Rev.mi octavus et primus Consultores nolunt hanc obligationem imponere.

Rev.mus tertius Consultor timet ne nimia «burocratizatio» fiat, qua expensae inutiliter augentur.

Rev.mus quartus Consultor manet anceps.

Rev.mus sextus Consultor: norma de rationibus praeventivis aptius forsitan relinquenda est iuri particulari. Quod autem maxime conferret bonae administrationi esset institutio Oeconomi dioecesani, ut in Codice Orientali (cf. can. 262).

Rev.mus nonus Consultor censem in iure communi rationes praeventivas *commendandas* esse, relinquendo iuri particulari ut, pro variis circumstantiis, statuat de obligatione illarum rationum praeventivarum.

Post propositionem Rev.mi sexti Consultoris, duo sunt quaestiones: de rationibus praeventivis et de Oecono dioecesano.

Adunatio IX^a

die 24 novembris 1967 – mane habita

a. De rationibus praeventivis

Habetur denuo discussio inter Consultores circa opportunitatem commendandi vel precipendi rationes praeventivas.

Tandem aliqua convergentia sententiarum videtur reduci posse ad hanc propositionem:

Placet commendare in iure communi ut rationes praeventivae habeantur secundum normas statuendas a iure particulari.

Quaestio, ita adumbrata, placet 8 Consultoribus; tribus Consultoribus non placet.

Redigendum ergo est canon ad sensum huius propositionis.

Rev.mus primus Consultor proponit hanc formulam: «Cum proprium sit diligentiae boni patrisfamilias rationes praeventivas redigere, ideo enixe commendantur».

Substantia huius canonis maiori parti Consultorum placet, sed melius expolienda est formula.

Rev.mus secundus Consultor autem proponit ne conficiatur novus canon, sed placitum de rationibus praeventivis inseratur in can. 1523, ubi iam numerantur munera administratorum, ita ut can. 1523 hoc modo redigatur:

§ 1: Administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2: Exinde debent:

1° ...

2° ...

(sex nn. ut in actuali can. 1523).

§ 3: commendatio rationum praeventivarum.

§ 4: iure particulari confiantur normae circa rationes praeventivas.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi secundi Consultoris:
omnibus placet.

Committitur Rev.mis secundo, primo et octavo Consultoribus ut canonem 1523 redigant secundum propositionem Rev.mi secundi Consultoris.

N.B.: Ill.mus decimus Consultor petit ut in actis constet haec nota:

« In quaestione rationis praeviae accepti et expensi condiciones generales et universales nostrae aetatis attendendae sunt. Si renuntiatur obligatio generali rationis conficienda praeiudicium affertur adiutorio internationali erga dioeceseos pauperiores. Obligatio in CIC imponenda ita enuntiari debet ut qui rationes exigere debet, fundationes parvas ab obligatione rationis praeviae eximere possit ».

b. *De Oecono mo dioecesano*

Rev.mi secundus, quintus et sextus Consultores petunt institutionem officii Oeconomi dioecesani, qui loco Episcopi attendat rebus oeconomicis et administrativis in dioecesi.

Rev.mi octavus et primus Consultores nolunt constitutionem talis officii.

Rev.mi tertius, quartus et nonus Consultores petunt ut institutio Oeconomi *commendetur*, non autem *praecipiatur*.

Rev.mus Relator et Ill.mus decimus Consultor censem munus Oeconomi delegari posse ab Episcopo alicui officiali Officii administrativi dioecesani.

Rev.mus septimus Consultor manet anceps.

Petuntur suffragia:

1. Placet praecipere constitutionem Oeconomi?

Placet 3; non placet 8.

2. Placet aliquam Oeconomi mentionem facere in lege generali?

Placet 8; non placet 3.

Rev.mus secundus Consultor proponit hanc formulam: « Quilibet Episcopus, auditio Consilio presbyterali, tenetur Oeconomum eligere pro administratione bonorum ecclesiasticorum dioecesis, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat ».

Formula maiori parti Consultorum placet, tamen aliqui Consultores instant ut adhuc perficiatur:

Rev.mus sextus Consultor has suggestiones facit: dicatur «... bonorum ecclesiasticorum dioecesis vel *in dioecesi*, nisi etc...»; clare appareat natura potestatis Oeconomi (ordinaria, vicaria vel delegata); instituatur *officium Oeconomi*.

Rev.mus quintus Consultor vellet potestatem ordinariam tribuere Oeconomo non tantum circa bona dioecesis sed etiam circa bona *in dioecesi* ut in can. 263 § 3 Codicis Orientalis.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut redigatur § 2 in qua munera Oeconomi determinentur.

Rev.mus primus Consultor consentit cum Rev.mo sexto Consultore pro constitutione *officii* Oeconomi et cum Rev.mo tertio Consultore pro redigenda alia paragrapho.

Rev.mus Relator animadvertisit quod iam in cann. 1519 § 1 et 1521 § 1 (iam probatis) munera administrativa tribuuntur Episcopo quae componi debent cum muneribus Oecono mo tribuendis.

His animadversionibus prae oculis habitis, Rev.mus secundus Consultor hanc formulam proponit:

«§ 1. Quilibet Episcopus tenetur officium Oeconomi constituere pro administratione bonorum ecclesiasticorum dioecesis, nisi parvitas etc. (ut supra).

§ 2. Oeconomus nominatur ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

§ 3. Oeconomi est, sub Episcopi potestate, bona dioecesis administrare; Episcopus autem potest ei committere munera de quibus in cann. 1519 § 1 et 1521 § 1».

Rev.mi quintus et sextus Consultores instant ut § 3 melius accommodetur sensui canonis 263 § 3 Codicis Orientalis.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit mentem huius Coetus iam clare expressam esse ut officium Oeconomi sese extendat ad bona dioecesis, non ad bona quae sunt *in* dioecesi.

Rev.mus secundus Consultor tamen, postulationibus Rev.morum quinti et sexti Consultorum quantum possibile concedere intendens, proponit formulam § 3 his verbis:

«Praeter munus administrandi sub auctoritate Episcopi bona ecclesiastica dioecesis Oecono mo committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 1519 § 1, 1521 § 1».

Fit suffragatio de singulis paragraphis:

§ 1: placet 10; abstinet 1 a sententia ferenda.

§ 2: placet 10; abstinet 1 a sententia ferenda.

§ 3: placet 8; non placet 2; abstinet 1 a sententia ferenda.

Adunatio X^a**die 24 novembris 1967 – vespere habita**

Abest Rev.mus nonus Consultor.

Rev.mi primus, octavus et secundus Consultores praebent Consultoriibus formulam § 3 et § 4 can. 1523 de rationibus praeventivis.

«§ 3. Rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis facienda enixe commendantur.

§ 4. De rationibus praeventivis provideat ius particulare tum quoad eas praeципiendas vel commendandas, tum quoad modos quibus eae sint exhibendae».

Formula omnibus placet.

Rev.mi tertius et quartus Consultores tamen vellent unam tantum paragraphum.

Antequam procedatur ad alias quaestiones a Rev.mo Relatore propositas, Rev.mus primus Consultor querit ut examinentur aliquae suggestiones quas fecit in suo voto:

a. *De canone 1522*

Canon 1522 applicari debet *omnibus* administratoribus, non tantum illis de quibus in can. 1521.

Rev.mus Relator, hanc suggestionem bene acceptans, proponit ut initio can. 1522 deleantur verba «de quibus in can. 1521».

Propositio omnibus placet.

b. *De adsecuratione bonorum*

Rev.mus primus Consultor proponit ut § 2, n. 1 can. 1523 ita compleatur: «Vigilare ne bona ecclesiastica sua curae concredita quoquo modo perirent aut detrimentum capiant, *initis in eum finem, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis*».

Fit aliqua discussio in qua aliqui Consultores timorem manifestant ne nimis illa bona graventur expensis (Rev.mi tertius, octavus et quartus Consultores) dum alii Consultores assensum praebent propositioni Rev.mi primi Consultoris.

Fit suffragatio:

Placet 9; non placet 1.

c. De foenore mutui vel hypothecae causa

In eadem § 2 can. 1523, proponit Rev.mus primus Consultor ut n. 4 novus inseratur his verbis:

« Foenus mutui vel hypothecae causa solvendum iusto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare ».

Aliqui Consultores favent huic propositioni, alii autem non.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut quaestio remittatur ad proximam Sessionem.

Committitur Rev.mo Relatori ut propositionem Rev.mi primi Consultoris includat in can. 1523, cuius textus recognoscendus est in proxima Sessione.

5. Massae bonorum communes: a quibus administrentur et ad quas personas morales pertineant

Consultores concordant quod normae generales de bonis administrandis, in praesenti sessione statutae, applicandae sunt etiam massis bonorum communibus.

Quaestiones peculiares de illis massis communibus suo loco solvendae sunt.

6. De can. 1524 (Postulationes doctrinae socialis)²

Rev.mus Relator refert quod aliqui Consultores in suis votis postulaverunt ut maxima principia iustitiae socialis in Codicem inserantur. Post parvam discussionem, Consultores concordant definitionem harum quaestionum auxilio indigere virorum in re sociali versatorum.

Committitur Rev.mo Secretario Commissionis ut rem proponat viris in re sociali peritis, qui alias normas proponant de principiis generalioribus iustitiae socialis cum administratione bonorum connexis, pree oculis tamen habitis votis Consultorum de eadem re.

Committitur Rev.mo Relatori ut redigere velit canones de administratione bonorum ecclesiasticorum, iuxta placita Consultorum in praesenti Sessione concordata. Ipsi canones examinandi et approbandi erunt in proxima Sessione.

² De « assicurationibus », de quibus in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, sermo erit in futuris Sessionibus.

SCHEMA CANONUM

DE PIIS FUNDATIONIBUS

Can. 1544

§ 1. Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi vel praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut pietatis, caritatis et apostolatus opera peragendi.

§ 2. Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici: do ut facias.

Can. 1545

Iuris particularis est definire conditions sine quibus piae fundationes acceptari nequeunt.

Can. 1546

§ 1. Ut huiusmodi fundationes a persona morali valide acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus, qui eum ne praebat antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut redditus omnino respondeat oneribus adiunctis secundum cuiusque loci vel regionis morem.

§ 2. Suppressa.³

Can. 1547

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab Ordinario approbando deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii iudicium, auditis et iis quo-

³ Rev.mus sextus Consultor, cui tres Consultores assensi sunt, hanc § 2 proposuit: « Ius acceptandi, constituendi et administrandi pias fundationes, ad normam iuris, legitimae auctoritati ecclesiasticae exclusive competit ».

rum interest et proprio administrationis consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris.

Can. 1548

- § 1. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.
§ 2. Alterum tabularum exemplum in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.

Can. 1549

§ 1. Servatis praescriptis cann. 1514-1516 et can. 1525, onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem ecclesiae vel instituti in loco tuto servetur.

§ 2. Praeter librum de quo in can. 843 § 1, alter liber retineatur et apud eundem rectorem servetur, in quo singula onera eorumque implementum et eleemosynae adnotentur.

Can. 1550

Suppressus.

Can. 1551

In reductione onerum quae pias fundationes gravant serventur normae de quibus in can. 1517.

